



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Thesavrvs Casvum Conscientiæ**

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

**Sayer, Gregory**

**Venetiis, 1627**

xv. De suspensionibus contra clericos in iure latis ratione exercicij ordinis recepti, aut electionis beneficiorum, & aliorum delictorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13883**



29 *Tertius est*, Is in cuius ordinatione est aliquid omissum ab illo ordine, donec suppleatur, quod erat omissum, suspensus est, glo. in cap. 1. in verbo, permitti, de Sacram. non iterandis, & citat pro hac sententia cap. sollicitudo, dist. 52. Hæc tamen suspensio non mihi videtur vsque adeo certaj; primo, quia in eod. cap. Innocentius Papa II. de hac suspensione consultus nihil ad illa respondet. Secundo, quia illud, cap. sollicitudo, dist. 52. cui glossa innitur, non loquitur de eo in cuius ordinatione aliquid omissum est, sed de eo, qui per saltum promotus est; vnde ex eo capite sumi non potest aliud argumentum nisi a similibus quod sicut is in cuius ordinatione omissus est aliquis ordo integer, ab ordine suscepto suspensus est, quo usque ordo ille, qui fuerat prætermittis suppleatur; ita etiam is, in cuius ordinatione aliquid est omissum, manet etiam suspensus, quousque illud adimpleatur, vbi tamen observandum est hoc dictum glossæ non habere locum, nisi vbi affuerit substantialia ordinationis; Nam si quid substantiale defuisset, suspensus non esset, cum nemo suspendi ab eo possit, quod non habet.

30 In fine huius capituli aduertendum est, qualiter quæ hæc ætatis dicta sunt, intelligi debent secundum ius antiquum, nam Anno incarnationis Domini, M. lxxv. quingentesimo octuagesimo octavo, Nonis Ianuarij, quæ incipit; *Sanctum, & salutare*. statutum est [ vt quicumque Clericus sine regulari, sine seculari, ex aliquo crimine, vitio, aut defectu, seu aliâ inhabilis, vel irregularis existens, vel extra tempora a iure statuta, vel absque veris dimissionis sui ordinarij literis, aut per saltum, vel furtiue; aut quoad seculares sine titulo sufficiens beneficij, aut patrimonij, aut ante ætatem per sacri Concilij Tridentini decreta, sess. 23. primæ sess. 23. aut cuique ordini præscriptam, aut nõ servatis temporum interstitijs, ita, vt aliquis vnicuique die, seu cõtinuatis diebus ad plures ordines sacros, vel post vnum ordinem susceptum sine causa rationabili antequam tempus ab eod. Concilio Tridentino præfixum elabatur, ad alium ordinem promotus sit, sine dispensatione, aut indulto Apostolico, talis Clericus post dictæ Bullæ promulgationem ad ordines minores, vel maiores, sic vt præscriptum malè promotus, ab executione, ministerio, & exercitio ordinum susceptorum, & ab omni spe, & facultate ascendendi ad alios superiores perpetuo suspensus est; & si in eis ministrare præsumperit, irregularis efficitur, & omnibus, & quibuscunque in titulum commendæ, aut aliâs obtentis dignitatibus, officijs, & beneficijs Ecclesiasticis cum cura, & sine cura, quomodocunque qualificatis secularibus, vel cuiusvis ordinis, aut militie regularibus, & etiam si Clericus Regularis fuerit, actiua, & passiva voce, ipso facto priuatur, & ad illa, & alia similia, vel dissimilia in posterum obtinenda in perpetuum inhabilis, & incapax est; & huiusmodi dignitatum, officiorum & beneficiorum sic pro tempore vacantiu dispositio summo Pontifici, ac sedi Apostolicæ perpetuè referuatur, sed neq; Clerici sic malè insigniti, seu ordinati a reatibus, & excessibus præfatis, a quoquam absoluti, præterquam in mortis articulo, nec cum eis super irregularitate propter præmissa contracta, etiam si crimen penitus occultum fuerit, virtute alicuius indulti, aut priuilegij, aut Maris Magni, aut indulgentiæ plenariæ, aut Iubilæi, aut Cruciatæ sanctæ quibusvis ordinibus, Congregationibus, aut personis Regularibus, aut Episcopis per decreta Concilij Tridentini, aut officio sacre Penitentiarie Apostolicæ, vel Minoribus, aut etiam Maiori Penitentiaris Curie Romanæ, concessæ, dispensari valeant. Immo verò, qui huiusmodi absolutionem, & dispensationem petunt semper quamvis delictum adhuc occultum extiterit, nõ per officium sacre Penitentiarie, sed a summo tantum Pontifice in vitroque foro absolutionem petere tenentur; aliquid ipsæ concessiones, & absolutiones, etiam cum clausula, quod dictæ constitutionis tenor, & alia prædicta habeantur pro expressis, prorsus nullæ, irritæ, & inualidæ existant, ac nemini penitus suffragentur.

31 *Ad cuius Bullæ facilitatem intelligentiam, seruetur est*. Primo, constitutionem hanc, vt superius annotatum est solum loqui de delictis in receptione ordinum, post legitimam eius publicationem commissis, non autem de illis

qui olim ante illam commissi fuerunt, vt colligitur ex illa particula Bullæ, *Post hæc*; vnde si quis ante d. Bullam in aliquâ censuram, aut irregularitatem ob malam ordinem susceptionem incidit, etiam nunc ab eo absoluit, & dispensari potest, qui ante dictam Bullam eum absoluit, & in irregularitate dispensare poterat, vnde si delictum, vel censura ex eo proueniens fuerit secreta, poterit Episcopus, aut alius ab eo specialiter designatus, iuxta Conc. Trid. sess. 24. de reform. c. 6. absoluit, & dispensare, sicut poterat, si Bulla hæc nunquam emanasset.

Secundo, siue Ultramontanus ordinetur ab Italo, seu Ultramontano; siue e contrario Italus ordinatus sit ab Hispano, Gallo, aut Ultramontano sine literis dimissionis sui ordinarij, suspensionem incurrit, vt colligitur ex illa particula Bullæ, *Ne quemquam promoveant sine eorum ordinarij literis dimissionis*; & ex illa particula: *Quemcumque secularis, vel cuiusvis ordinis, aut militie regularis, quæ sunt clausule generales, & comprehendunt quoscunque seculares, & regulares, vt constat.*

Tertio, Quamuis olim per Constitutionem Pij II. in ordine sextam, quæ incipit, *Cum ex sacrorum*, sub data quinta decimo Kalend. Decembris anno incarnationis Domini, Millesimo quadringentesimo sexagesimo primo, Pontificatus autem eiusdem anno quarto, quæ Constitutio nunc Bullario vnâ cum alijs habetur, solum suspensio erant, qui ordinabatur ordine sacro sine dimissionis, vel ante legitimam ætatem, vel extra tempora; Hodie tamen pena hæc, etiam ad ordinatos minoribus ordinibus exten ditur, vt ex illis Bullæ verbis, *Ad minores maioresque ordines ritè promoveri, & ex illis; Minoresque ordines, & ex illis; Aut ad ordines maiores, manifestum est.*

Quarto, sic malè promoti ad minores, vel maiores ordines, non solum suspensi sunt ab executione, & ministerio ordinum susceptorum, sed etiam carent omni spe, & facultate ascendendi ad illos superiores, & ultra irregularitatem quam incurrun, si præsumperint in eis ministrare, soli Papæ referuatur, omni titulo, ac beneficio priuatur.

Ceterum hæc Bulla Sixti V. per aliam posteriorem Clementis Papæ VIII. quæ incipit *Romanum Pontificem* anno incarnationis Domini Millesimo quingentesimo nonagesimo quinto, pridie Kalend. Martij, ad terminum Sacrorum Canonum, ac Constitutionis felicis Memoriae Pij Papæ II. quæ incipit, *Cum ex sacrorum ordinum*, sub data, videlicet, quinto decimo Kalend. Decembris, Pontificatus sui anno quarto, & ad dispositionem Decretorum sacri Tridentini Concilij rediit, & exceptis illis, quæ in dicta Bulla Sixti V. contra Simoniacos ordinantes, & ordinatos iure nouo statuta erant, quæ per præfatum Bullam Clementis VIII. non sunt reuocata, vt ex dictæ Bullæ modificatione, quam inserimus in fine huius libri apponemus, manifestum erit. Hanc autem Sixti V. Constitutionem hoc in loco, tam etiam c. 1. inseruimus, vt si qui forte iniquè contra dictæ Bullæ tenorem deliquerint, & consequenter in illius penas incidere, antequam illa reuocata fuerint, cognito errore respiciant, dignamque de præteritis peccatis penitentiam agant, & huiusmodi excessuum absolutionem, & irregularitatum dispensationem a Sede Apostolica ex petant, & obtineant.

De suspensionibus contra Clericos in iure latis ratione exercitii ordinis recepti, aut electionis Beneficiorum, & aliorum delictorum. Cap. XV.

S V M M A R I V M.

- 1 Missam incompletam sine causa graui omittens, a corpore & sanguine Christi suspensus est,
- 2 Missam inchoatam, in qua quis relinquat, quenam casus esse possit.

3 Missam



- 3 *Missam celebrans, & in ea non communicans, a communione per annum suspensus est.*
- 4 *Nuptias secundas benedicens ab officio, & beneficio an ipso iure suspensus sit.*
- 5 *Utriusque manifestos ad communionem altaris, vel ad sepulchram Ecclesiasticam recipiens, quando, & quousque ab executione officij sit suspensus.*
- 6 *Celebrantes, vel celebrare facientes in locis ab homine, vel iure interdictis, ab ingressu Ecclesie sunt suspensi, ad arbitrium illius cuius sententiam contempserunt.*
- 7 *Clerici etiam exempti, & religiosi, ad Sacramenta, uel sepulchram Ecclesiasticam, aut ad officia diuina publice excommunicatos denunciatos admittentes, aut etiam interdictos, ab ingressu Ecclesie suspensi sunt.*
- 8 *Matrimonia clandestina, aut contra Ecclesie interdicta contracta matrimonia, Sacerdos parochialis prohibere contemnens, aut regularis eis presentem se exhibens, per triennium ab officio suspensus est.*
- 9 *Matrimonio sponso alterius parochie, parochianus, aut alius Sacerdos secularis, vel regularis, sine illorum parochi licentia coniungens, ipso iure suspensus est.*
- 10 *Religiosus, quamuis olim benedicens, aut solemnizans nuptias excommunicatus erat, nunc tamen solam suspensionem incurrit.*
- 11 *Clerici scienter eligentes Episcopos, aut alios prelatos, & beneficiatos contra formam Cap. Cum in cunctis, de elect. per triennium ab Ecclesiasticis beneficijs sunt suspensi.*
- 12 *Clerici eligentes aliquem sine concorditer, siue discorditer, sitamen electionem ipsam electo presentare infra octo dies distulerint, suspensi sunt a beneficijs per triennium.*
- 13 *Obiciens aliquid contra electum ad aliquam dignitatem, vel personatum, si in probatione deficiat, a beneficijs per triennium est suspensus.*
- 14 *Ecclesiam sibi commissam pro alienis debitis grauens, ab administratione spiritualium, & temporalium suspenditur.*
- 15 *Praelati non Episcopi, Ecclesias sibi commissas, aut bona, & iura ipsarum, sine consensu Capituli, & Sedis Apostolicæ licentia speciali, laicis subiicientes, per triennium ab officio, & temporalium administratione suspensi sunt.*
- 16 *Clericus consentiens electioni de se factæ per abusum potestatis secularis, sit ineligibilis.*
- 17 *Occupantes, aut dilapidantes bona Ecclesie vacationis tempore obuenientia, ab officio, & beneficijs sunt suspensi.*
- 18 *Occupantes bona, & census Monachorum pietatis, aut alterius loci pii, vel Ecclesie, beneficijs omnibus priuantur, & excommunicationem Papalem incurrunt.*
- 19 *Mortuum laicum, aut eius scapulas palla altaris obuolvens quamdiu ab ordine censetur suspensus.*
- 20 *Iuramentum sponte de tenendo se hismate prestantis, a sacris ordinibus, & dignitatibus suspensus est.*
- 21 *Conceptionem B. Virginis in Cõcionibus popularibus, aut alibi, ubi populus utriusque sexus concurrat, ita affirmans, ut contraria parti refellat, quas penas incurrat.*
- 22 *Ordinatus sacris absque patrimonio, aut beneficio, cum patre de non petendo alimenta, vel prouisionem ab Episcopo ordinante, ab ordine suspensus est, ad Papæ arbitrium.*
- 23 *Ordinatus sacris cum patrimonio promisso, cum occulto patre ante ordinationem, quod postea patrimonium non repetat, ab ordine ad Sedis Apostolicæ arbitrium est suspensus.*
- 24 *Clerici notorii Concubinarij, aut fornicarij, ab ingressu Ecclesie, donec peniteant, suspensi sunt.*

- 25 *Clerici notorii fornicarij, aut concubinarij, post peractam penitentiam ordines exercere possunt.*
- 26 *Visitatores non Episcopi, quando in visitatione exigentes aut recipientes pecuniam, aut munera ab officio, & beneficio suspensi sunt.*
- 27 *Regulares, an in visitationibus suis aliquid accipiendo ultra ea, quæ sibi ex constitutionibus, & consuetudinibus religionum suarum competunt, suspensionem incurrant.*
- 28 *Clericus virgata, aut partita veste publice utens, quas penas iure antiquo incurrebat.*
- 29 *Bulla Sixti V. de habitu, & tonsura per Clericos, seu militibus beneficia, vel pensiones obtinentes deferendis, quid in se contineat.*
- 30 *Clericus ad duellum prouocans, vel illud acceptans, quas penas tam iure antiquo, quam nona Concilij Tridentini, & Clementis Papæ VIII. Constitutione incurrat.*

**Q**uoad usum igitur, & exercitium ordinum incidunt Clerici suspensionem in his casibus.

- 1 *Primus est, Qui sine graui causa omittit Missam incompletam, suspensus est a corpore, & sanguine Christi capitulo Nihil, septima quaestione prima, & clarius in c. Nullus Episcopus, de consec. dist. 1. grauis autem causa post inchoatum Canonem communiter non est, nisi aut repentinus morbus grauis, aut tanta mentis alienatio, ut non possit sine periculo in ipsa Missa progredi, cap. illud, & cap. Nihil, 7. quaest. 1. qui Canones ex Toletano 7. cap. 2. & Toletano vndecimo, cap. 13. & 14. desumpti sunt Maiol. lib. 3. de irregular. cap. 16. num. 4. Quando autem in defectum Sacerdotis celebrantis substituendus sit alius, qui Missam inchoatam perficiat, in tract. de Sacram. Eucharistia dicitur. Cause leuiiores possunt esse satis ad relinquendam Missam ante inchoatum Canonem morbus leuior; item si quis publice excommunicatus Ecclesiam ingrederetur, & nollet exire, tunc enim debet Sacerdos ab akari discedere, & Missam relinquere, ut latius in tract. de excom. dictum est.*
- 2 *Secundus est, Quicumque Missam celebrans in ea non communicat, a communione per annum est suspensus, ut habetur in cap. Relatum, de consec. dist. 2. S. Thom. in 3. par. q. 82. art. 4. Bernard. Diaz in pract. Canon. cap. 38. Simon Maiol. lib. 3. de irreg. c. 16. num. 2.*
- 3 *Tertius est, Qui benedicit secundas nuptias ab officio, & beneficio suspensus est, c. primo, de secun. nuptijs, & hec suspensio videtur Papæ reseruata, dicitur enim ibi, ut talis ad Sedem Apostolicam destinetur Host. Panorm. ibi. Bernard. Diaz. lib. de prac. Can. cap. 68. Maiol. lib. 3. de irreg. cap. 15. Couar. in epitome 4. decretalium, par. 2. cap. 8. §. 1. num. 2. Syluest. verb. Nuptia, §. 1. Tabiena in verb. impedimentum, 14. nu. 5. vers. Quarto, Specul. coning. par. 1. art. 13. in fine. Henriquez lib. 13. de excom. & susp. c. 39. §. 3. vbi obseruandum est, quod quamuis aliqui velint hanc penam suspensionis inferri a Canone ipso iure, alij tamen rectius notant Host. Ant. Panorm. in d. cap. 1. Couar. Bernard. Diaz. Speculum coning. & Henriquez vbi supra. Hentic. in c. vir autem, de Secun. nuptijs. Pal. 4. d. 42. q. 3. art. 1. concl. 4. Petr. Ledes. in addit. 3. par. S. Thomæ q. 65. art. 2. in fine. penam hanc solum ab homine inferendam esse, quæ expositio communior, & verior est; Quod vero attinet ad reseruationem, & missionem Sacerdotis ad Sedem Apostolicam pena hæc ablata est, & diminuta per Ioannem XXII. in quadam Extrau. quæ non habetur in iure, refertur tamen a Couar. Spec. coning. & Petr. Ledes. locis citatis. vbi Speculum testatur Episcopo commissum esse, ut dispensare valeat.*
- 4 *Quartus est, Qui manifestos usurarios ad communionem altaris, vel ad Ecclesiasticam sepulchram admittunt, vel in Missa eius recipiant oblationem, antequam satisfecerint, vel de satisfactione idoneam dederint. cautionem, ab execu-*



executione officij suspensi sunt, donec ad sui Episcopi arbitrium satisfiant, capitulo Quia in omnibus, de ritu. & cap. ult. tit. cod. lib. 6. vbi etiam religiosi hinc pena comprehenduntur, Pal. 4. d. 18. q. 7. art. 2. casu 10. Henriquez lib. 13. de excom. & susp. c. 38. §. 3. Tabiena, verb. Suspendio, nu. 7. vers. Sexto, casu 35. Angelica, verb. Suspendio 1. casu, 37. Syl. verb. Suspendio, quaestio. 6. versic. 37. Vivald. tit. de suspens. num. 49.

6 *Quintus est*, Quicumque Clerici celebrant, vel celebrare faciunt in locis interdictis a iure, vel ab homine, ab ingressu Ecclesiae suspensi sunt, quouique ad arbitrium illius, cuius sententiam contempserint, satisfiant, c. Episcoporum, de priuileg. lib. 6. Pal. 4. d. 18. q. 7. art. 2. casu 8. Angelica, verb. Suspendio 1. casu 23. Tabiena, verb. Suspendio, vers. Sexto, casu 21. Quae suspensio etiam omnes religiosos comprehendit, & intelligenda est iuxta moderationem ca. Alma mater, de sent. excom. lib. 6. & isti etiam praeter hanc suspensionem in multis casibus incurunt irregularitatem, vt in tract. de interdicto dicemus.

7 *Sextus est*, Omnes Clerici etiam exempti, & Religiosi admittentes ad Sacramenta, ad Ecclesiasticam sepulturam, ad officia diuina publice excommunicatos denunciatos, vel interdictos, ab ingressu Ecclesiae suspensi sunt, donec satisfiant ad arbitrium illius, cuius sententiam contempserunt, capitulo Episcoporum, de priuileg. lib. 6. Pal. 4. d. 18. q. 7. art. 2. casu 8. Angelica, & Tabiena locis proximè allatis. Martin. Ledes. 2. 4. quaest. 26. art. 2. tract. de suspensione, casu 11. Nauar. in Man. c. 27. num. 157. vers. Undecima. Cosmus Philarchus de officio Sacerd. par. 1. lib. 4. c. 2. casu 10. & Alphonsus Vivald. tit. de suspens. num. 87. Vbi obseruandum est ex glossa in d. c. Episcoporum, in verb. ingressum, aliquos velle censuram istam non pertinere, nisi ad priuilegiatos, quam sententiam tenent multi Doctores ex Angelica, & Tabiena, vbi supra, eamque sequuntur Ledesim. Vivald. & Nauar. vbi dicunt hanc esse communem opinionem; vnde propter auctoritatem tot. & talium DD. puto hanc doctrinam, tanquam mitiorem posse aliquando practicari, quamuis mihi videatur apertè e contra textum, ibi enim expresse dicitur, Clerici seculares aut regulares quantumcumque exempti, seu priuilegiati, quae dictio quantumcumque non est restrictiua, sed ampliatiua, vt includat etiam priuilegiatos, quasi dicat, vt exponit ibi glossa, multo magis si non sunt exempti, & ita Pal. vbi supra in glossa sententiam inclinare potius videtur. Quod si queras, quae ratione iurè practici possit illa opinio, si ita aperte textui contradicat? Respondeo, propter communem DD. opinionem potest nonpaquam mitigari textus Canonum, & consuetudo fundata in hac opinione rigidiorum Canonis expositionem poterit abrogare.

8 *Septimus est*, Sacerdos parochialis, qui matrimonia Claustrina (quamuis nunc sint irrita) vel contra Ecclesiam interdicta contra matrimonia prohibere contempserit, aut quilibet etiam regularis, qui eis interesse presumpserit, per triennium ab officio suspensus est, c. cum inhibito. §. fin. de Claustrina desponsat. & Concl. Triden. in sess. 24. de re forma. matrim. c. 1. dictam Constitutionem Innocentij III. in Conc. Lateranen. ca. 51. confirmat Bernar. Diaz. lib. pract. Canon. cap. 67. Cou. in par. 2. Sponsal. c. 6. in princ. num. 13. versic. Tertio. Henriquez lib. 13. de excomm. & susp. ca. 39. §. 3. vbi Diaz. & Henriquez tales suspensos esse dicunt. Couar. autem solum per triennium suspendendum esse vult, sed verior est opinio prior, dicitur enim ibi, *Suspendatur*, quae est signum latae sententiae, secundum ea, quae lib. 1. de excomm. cap. 11. docuimus, A qua suspensione ante lapsum triennij Episcopus absolueri non potest, vt laus Bernard. Diaz. Cou. & Henriquez, contra Hostiens. & Cardin. & Praepos. probant. vbi enim terminus suspensioni adiectus est (vt in d. cap. inhibito, §. fin. apponitur) Episcopus intra illum a tali suspensione absolueri nequit, iuxta ea, quae tradunt glo. in Clement. 1. §. verum, in verb. excommunicationis, & ibi Imol. de har. Praepos. in Summa 50. distinct. colum. 2. Felin. in capit. Nuper, de sentent. excomm. Panormitan. in capit. Quam sit graue, de excess. praelat. & hoc maxime cum constitutio illa a Concilio Generali condita sit; Episcopi veto contra Concilia di-

spondere nequeunt, vt communis habet DD. sententia in c. ar. si Clerici, §. fin. de iudic.

9 *Ottauus est*, Parochus, vel alius Sacerdos quicumque, siue secularis, siue regularis sit, etiam si sibi ex priuilegio, vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius parochiae sponsus sine illorum Parochi licentia Matrimonio contingere, aut benedicere ausus fuerit, ipso iure tam diu suspensus manet, quamdiu ab ordinario eius parochiae suscipienda erat absoluitur ex Trident. sess. 24. de re forma. matrim. cap. 1. Alphonsus Vivald. tit. de suspens. num. 127. Henriquez lib. 13. de excomm. & susp. cap. 38. §. 2. Vbi obseruandum est, quod religiosus olim benedicens, aut solemnizans nuptias excommunicatus erat, vt habetur Clem. 1. de priuileg. At verò, ne pro vno peccato incurretur duplex pena, per Tridentinum vbi supra per suspensionem a Concilio Trid. latam tollitur praedicta excommunicatio, ex doctrina Decij in c. de causis, de offic. deleg. & Henriquez vbi supra in annota. in litera E. & habetur expresse in declaratione Cardin. super Concilio Trident. quicquid Nauar. tom. 2. consil. consil. 1. de penis, lib. 5. sed potest religiosum in hac re offendentem ipso iure vitiosum esse intelligere, quod suspensus sit ab officio, praeterquam cum suspensio ista propter usurpationem alieni officij lata sit, de qua re consulenda est declaratio a Congregatione Cardin. qui super Concilio Trid. eiusque dubijs interpretandis praeficiuntur; interim tamen tutius est, vt etiam a beneficio, quam ab officio suspensum esse credat.

Quoad Suspensiones, quae ratione beneficiorum incurantur.

11 *Primus est*, Clerici, seu Canonici eligentes scienter tam Episcopos, vbi consuetudo id habet, quam alios Praelatos & beneficiatos contra formam Cap. 1. cum in cunctis, de elect. per triennium a beneficijs Ecclesiasticis suspensi sunt ex d. c. cum in cunctis, §. fin. de elect. Palud. 4. distinct. 18. quaest. 7. art. 2. casu 1. S. Anto. 3. par. titu. 28. de suspens. capitu. 4. Angelica, verbo Suspendio 1. casu 6. Syluest. verb. suspensio, quaest. 6. versic. 6. Vivald. titu. de suspens. num. 66. Tabiena verb. Suspendio, versic. Sexto, casu 6. Martin. Ledesim. 2. 4. quaest. 26. art. 2. tract. de suspens. casu 2. Nauar. in Man. c. 27. nu. 155. vers. Secunda. Henriquez lib. 13. de excomm. & suspens. c. 39. §. 2. & alij, & intelligitur tam de beneficijs habitis, quam habendis in illa Ecclesia ex Palud. & Anton. & facit cap. si compromissarius, de elect. lib. 6. & pro illa vice tantum eligendi potestate ipso iure priuati sunt. Forma autem cap. Cum in cunctis est, vt ad quaecumque beneficia eligendi aetatem debitam, & requisitam habeant, & praeterea vt sint moribus, & doctrina probati, & in electione Episcoporum, seu Archiepiscoporum requiruntur praeterea vt sint de legitimo matrimonio nati, quod licet in plerisque alijs beneficijs sit necessarium, si tamen ad alia beneficia illegitimi eligantur, non inducit hanc suspensionem. Circa hanc autem censuram obseruandum est.

*Primo* ex Ledesim. Nauar. Henriquez, & Paludan. vbi supra, quod licet haec censura comprehendat omnes eligentes illegitimum Episcopum, non tamen comprehendit eligentes quemquam ad aliam dignitatem non Episcopalem; nec comprehendit laicos, vt Imperatores, & Reges, qui praesentant aliquos illegitimos ad Episcopos nec comprehendit Cardinales eligentes illegitimos Summos Pontifices: Ratio est, quia haec solum loquitur de Clericis eligentibus Episcopos, & pena non solum extendenda; argument. l. interpretacione, ff. de penis & capitul. pena, 2. de penit. distinct. 1. & capit. odia, de reg. iur. lib. 6.

*Secundo* Episcopus in eam indigni electionem contentiens pro illa vice potestate conferendi beneficium priuatur, si ad illum pertinebat collatio, sin autem ad illud pertinebat collatio, priuatur potestate confirmandi primam successorem, & a perceptione proprii beneficii suspensus debet.



di debet, d. c. cum in cunctis, §. final. & ibi glos. in verb. cōferendis, & c. nihil est de elect.

**Tertio** ex Palud. 4. d. 18. q. 7. art. 2. casu 1. §. Anton. Nau. Ledesin. & Henriquez locis proxime allatis, & Summa Astensis, par. 2. lib. 6. tit. 16. artic. 7. casu 16. Angelica, verb. Suspensionis, 1. casu 16. Tabiena verb. eod. verb. dexto, casu 24. electores arbitri fide compromissarij, ad quos ex concessione aliorum deuoluta est potestas eligendi, quod præcipue contingit quando electores sunt discordes, si eligant indignum contra formam istius cap. cum in cunctis, eandem suspensionem incurrun: Eandem penam incurrun ipsi electores, qui compromiserunt, si electioni contra formam Capituli prædicti factæ a compromissarijs consentiant, quia tenentur contradicere nõ tangit tamen hæc suspensio Episcopos, nec intelligitur nisi in electionibus Episcoporum, & superiorum, secus de electionibus inferiorum, cap. Si compromissarij, de elect. lib. 6.

**Quarto** ex eodem Palud. intelligitur de sola electione, ex sola enim nominatione indigni contra formam prædicti cap. cum in cunctis non secuta vera, & reali electione, non incurritur pena suspensionis a beneficijs, nec priuantur potestate eligendi, c. perpetuo, de elect. lib. 6. An verò si suspensio accipere possint distributiones si officiant, constat ex his quæ diximus c. 6. cum tractauimus de suspensione a beneficijs.

**Secundo** est Clerici eligentes aliquem siue concorditer, siue discorditer facta sit electio, si infra octo dies, vel saltem postquam commo de poterunt, distulerint presentare electionem ipsam electo omnes qui in hoc culpabiles extiterint a prosecutione electionis exclusi, & suspensi sunt per triennium continuu a beneficijs, (quod communiter intelligitur de beneficijs, quæ habent in illa Ecclesia) & si infra hoc tempus ausi fuerint se propria temeritate, vel alio quæsito colore ingerere, illis ipso iure perpetuo sunt priuati, vt habetur in cap. Cupientes, §. ceterum, de elect. libro sexto. Palud. 4. d. 18. q. 7. art. 2. casu 1. §. Anton. 3. par. tit. 18. de suspens. 4. vlt. medium. Summa Astensis, par. 2. lib. 7. tit. 16. art. 7. casu 15. Angelica, verb. Suspensionis, casu 23. Syluest. verb. eod. verb. 23. Alphonsus Viuald. tit. de suspens. num. 96. Henriquez lib. 13. de excomm. & suspens. cap. 33. §. 2. & intelligitur ex Tabiena de electoribus in Ecclesijs Cathedralibus, vel regularibus, & sic priuatis, Episcopos a beneficijs, si vellet, de nouo conferre non potest, ex glo. ibi in verb. perpetuo.

**Tertio** est, Quod aliquod obiecerit contra electum ad aliquam dignitatem vel personatum, si in probatione defecerit, a beneficijs Ecclesiasticis per triennium est suspensus, & si hinc inde illis se intromittat, illis in perpetuo est priuatus nullam super hoc de misericordia. dispensatione spem, aut fiduciam habiturus, nisi manifestissimis constitent documentis, quod ipsum a calumnie vitio causa probabilis & sufficientis excuset, ca. statim, §. fin. de elect. libro 6. Palud. 4. d. 18. q. 7. art. 2. casu 1. Summa Astensis, par. 2. lib. 7. tit. 16. art. 7. casu 14. Angelica verb. Suspensionis, casu 24. Syluest. verb. Suspensionis, q. 6. vers. 24. & Alphons. Viuald. tit. de Suspens. no. 122. Tabiena verb. Suspensionis, vers. Sexto. casu 22. Henriquez lib. 13. de excomm. & Suspensione, §. 2. Quod intelligitur de beneficijs, quæ habentur in illa Ecclesia, non de alijs, ex Summa Astensis, Angel. Tabiena. tit. & glo. ibi verb. beneficijs, iuxta c. si compromissarij de elect. lib. 6. Intelligitur etiam hanc penam locum habere, siue erimè aliquod obiectum fuerit, siue defectus, cum generaliter loquatur ex glo. in d. c. statuimus. §. fin. in verb. defecerit.

**Quarto** est, Qui Ecclesiam sibi commissam pro alienis debitis grauat, aut literas alicui, vel sigillum alicui concedit, quibus possint Ecclesie obligari, ab administratione temporalium, quam spiritualium suspensus est ipso iure, si quorundam de solutionibus, Palud. 4. d. 18. q. 7. art. 2. casu 6. Summa Astensis, par. 2. lib. 7. tit. 16. art. 7. casu 13. Angelica, verb. Suspensionis, 1. casu 10. Syluest. verb. Suspensionis, q. 6. vers. Decimo. Alphonsus Viuald. tit. de Suspens. num. 46. Tabiena, verb. eod. vers. Sexto. casu 9. dat Palud. exemplum, si quis accipiat motuum nomine Ecclesie, & obsequet ecclesie sigillo, cum tamen verè expendat pecuniam

illam non in vtilitatem Ecclesie, sed propinquorum, vel amicorum, & idem videtur si eam expendat pro seipso in casu illicito, & non pro vtilitate Ecclesie, quia etiam in hoc casu est debitum alienum ab Ecclesia, licet non ab ipso. Addit etiam Paludan. quod obligatio non valet si potest probari in foro exteriori; Si tamen confitetur verum fuisse illud mutuum in vtilitatem Ecclesie, statim confessioni eius nisi probetur contrarium, & sic possunt literæ nocere Ecclesie. Deinde ex Astensis, Angel. Syluestro, & Tabiena, decretum hoc solum ligat inferiores Episcopos, vt enã docet ibi Ioan. And. Potest autem suspensio hæc, vt iudem auctores tradunt, per Episcopum proprium relaxari, sed non debet facere nisi prius indemnem reddat Ecclesiam, de verb. signific. capitulo, cum olim, nec tenetur Ecclesia huiusmodi debita soluere cap. si quis presbitero, de reb. Eccles. non alien.

**15 Quintus** est, Prælati non Episcopi, qui Ecclesias sibi commissas seu bona Ecclesiarum, aut iura ipsarum, sine consensu sui Capituli, & Sedis Apostolicæ licentia speciali, laicis subijciunt, aut submitunt, recognoscenda ea ab ipsis sicut a superioribus se tenere, vel ipsos aduocando, per triennium ab officio, id est, executione officij, & ab administratione temporalium secundum Ioann. Andr. *Suspensi sunt*, Et Clerici qui hoc scientes non denunciant superiori, a perceptione beneficiorum quæ in illa Ecclesia sic supposita obtinet, triennio suspensi sunt. Hoc consuluimus, de reb. Eccles. non alienandis, lib. 6. Angelica, verb. Suspensionis, 1. casu 18. Syluest. verb. Suspensionis, q. 6. vers. 18. Alphons. Viuald. tit. de Suspens. no. 81. Tabiena, verb. Suspensionis, vers. Sexto. casu 16. Palud. 4. d. 18. q. 7. art. 2. casu 7.

**16 Sextus** est, Clericus consentiens electioni de se factæ per potestatis secularis abusum, sit ineligibilis, & eligentes prima vice potestate electionis priuati sunt, capitulo, Quisquis de elect. Angelica, verb. Suspensionis, 1. casu 7. Tabiena, verb. eod. vers. Sexto, casu 7. Syluest. verb. Suspensionis, q. 6. vers. Septimo. Viuald. tit. de Suspens.

**17 Septimus** est, Quilibet de Capitulo, Collegio, vel Conuentu occupantes inter se diuidentes, surripientes, dissipantes, dissipantes, confumens bona Ecclesie Cathedralis, Collegiata, vel Regularis, vacationis tempore obuentiæ, vel post mortem Prælati inuenta, quæ in vtilitate ipsarum Ecclesiarum impendi, vel futuris successoribus reservari debeant, tamdiu ab officio, & beneficijs quibuscuque suspensi manent, donec restituerint, quicquid acceperint, capitulo. Quia saepe, de elect. lib. 6. Palud. 4. d. 18. q. 7. art. 2. casu 2. Angelica verb. suspensionis, 1. casu 16. & alij quos retulimus c. 13. casu 18.

**18 Octauus** est, Quicumque alicuius Ecclesie, beneficij, mortis pietatis vel alterius loci pii iurisdictiones bona, census, ac iura etiam feudalia, & emphyteutica, fructus, emolumenta, seu quascunque obuentiones, quæ in ministrorum, & pauperum necessitates conuertit debent, occupant perse, vel alios, vi, vel timore incuso vel per interpositas personas, siue Clericorum siue laicorum, & qui huius fraudis fabricatores, seu consentientes fuerint, præter excommunicationem Papalem, etiam priuationem omnium beneficiorum, & inhabilitationem tum ad illa, tum ad quæcunque alia incurrun; & a suorum ordinum executione, etiam post integram satisfactionem, & absolutionem, sui ordinarij arbitrio suspensi sunt, ex Conc. Trid. sess. 22. de reform. cap. 11.

Quoad Suspensiones quas incurrun Clerici ex alijs defectibus;

**19 Primus** est, Qui mortuum laicum, aut eius scapulas obuoluit palla altaris, vel palla quæ data est Diacono in mensa Domini, si sit Diaconus, per tres annos, & dimidiu, si verò presbiter per annos decem, & dimidiu ab ordine suspensus manet, vt habetur in c. Nemo per ignorantiã, iuncta glos. in verb. mortuū, & in verb. Anathemate, de consecrat. d. 1.

**20 Secundus** est, Qui sponte iuramentum de tenendo schismate iurat, a Sacris orationibus, & dignitatibus suspensus est, c. 1. de schismaticis.

**21 Tertius** est, Qui in concionibus popularibus, vel vbiunque promiscua virorum, & mulierum multitudo conuenire solet, de huius controuersiæ (immaculata scilicet conceptionis B. V.) alterutra parte disputare, rationibus, vel Doctorum



etorum auctoritate, alteram sententiam asserendo, & contrariam refellendo, aut impugnando, vel de hac ipsa questione cuiusvis pietatis, aut necessitatis, pretextu, vulgari sermone scribere, vel dicere presumit, a Divinis, si in Sacris Constitutus sit, & omni gradu, & dignitate ipso iure suspensus, & privatus est, & ad eadem, vel similia munera obtinenda, vel obtenta, perpetuo inhabilis redditur per Bullam Pij V. incip. Super specula, editam 1570. 17. Decemb. Alphonf. Vivald. tit. de Suspensione nu. 116.

21 *Quartus est*, Qui absque patrimonio, aut beneficio ad Sacros ordines promovetur, cum pacto, ut ab Episcopo videtur, alimenta, aut provisionem non petat; vel ex simili pacto cum patrono beneficii presentatus, promittit ei se nihil ab eo petiturum, si ei concedat beneficium, ad cuius titulum initiatur ab ordine suspensus est, donec a Sede Apostolica dispensetur, c. penult. de Simonia. Nau. in Man. c. 27. qu. 158. vers. Decima quinta Martin. Ledesm. 2. 4. q. 26. art. 2. in tract. de suspens. casu 15. Simon Maiol. lib. 4. de irreg. cap. 3. num. 8. Cosmus Philarchus de offic. Sacerd. par. 1. lib. 4. cap. 2. casu 3. & Alphonfus Vivald. tit. de suspens. nu. 17. & Toletus lib. 1. instruct. Sacerd. cap. 15. Henriquez lib. 13. de excommunic. & suspens. c. 37. §. 1. & facit Conc. Trid. sess. 21. de reform. cap. 2. & tenetur Episcopus qui eum Sacris initiavit, vel eius successor, dare alimenta pauperi, quem sine titulo beneficii, aut patrimonio ordinavit. c. secundum. de preben. c. accepimus, de etat. & qualit. & c. si Episcopus de preben. lib. 6.

23 *Quintus est*, Qui ad Sacros ordines promovetur, cum patrimonium, vel alimonia promissis, aut donatis ab aliquo cum occulto pacto ante dictam ordinationem facto, quod talem alimonia, aut patrimonium post ordinationem non repetet, eodem modo ab ordine suspensus est, ex Naua. in Man. c. 27. nu. 158. vers. declaratio prima, Martin. Ledesm. ubi supra. & mihi videtur valde probabilis, cum sit similis precedenti, quamvis Toletus lib. 1. cap. 15. contrarium sentiat, non esse suspensum. Qui vero absque pacto simonia co initiatur Sacris cum facto patrimonio (ut quia occulte renunciauit ante ordinationem, in favorem parentis, aut amici, qui ei bona donaverat) suspensus non est peccat tamen mortaliter, ut docent Alphonfus Vivald. tit. de suspens. nu. 28. & num. 31. Henriquez lib. 13. de excomm. & suspens. c. 37. §. 2. in annot. litera G. ubi ait omnes lectores Theologie, & iurisperitos Academiae Salmant. Complut. & Tolet. ita tenere, quicquid Barth. Medina lib. 1. instruct. cap. 11. §. 8. contrarium insinuat de eo, qui post ordinationem patrimonium alteri donat.

24 *Sextus est*, Clerici notorii fornicarii, vel etiam publici concubinarij ab ingressu Ecclesiae, donec poeniteant, suspensi sunt. cap. si qui sunt. distinct. 81. Palud. 4. d. 18. q. 7. art. 2. casu 11. S. Anton. 3. par. tit. 28. de suspens. 2. Angelica, verb. suspensio, 2. casu 4. Tabiena, verb. eod. vers. Sexto casu 4. Naua. in Man. c. 25. num. 77. & cap. 27. num. 154. Martin. Ledesm. 2. 4. q. 26. art. 2. in tract. de suspens. casu 1. Maiol. lib. 5. de irreg. c. 27. nu. 1. Henriquez libro 13. de excommunicat. & suspens. capitu. 36. Alphonfus Vivaldus, tit. de Suspens. num. 19. & Cosmus Philarchus lib. de offic. Sacerdotis par. 1. lib. 4. cap. 2. casu 1. Iacobus de Graff. lib. 4. decis. cap. 25. num. 26. Toletus lib. 1. cap. 15. & fauent Archid. in c. prater haec, dist. 32. Ioan. And. & Hostiens. in c. vestra, de cohab. Cler. & mul. Panorm. in c. si celebret, num. 5. de Cler. excom. ministr. & Syluest. in verb. Clericus, 2. quest. 8. vers. Queritur Secundo, & in verb. concubinarijs, num. 4. & hoc siue sit notorium iuris, siue facti; Dicitur autem *notorium iuris*, cum quis confitetur in iudicio, vel conuincitur de crimine; *Notorium vero facti* est, cum crimen in populo ita manifestum est, quod nulla possit tergiversatione celari, & Nau. Maiol. Vivald. & Toletus ubi supra addunt, si t. les ante poenitentiam peractam celebrent, fieri irregulares. At certe si auctoritatem Concilij Tridentini consideremus sess. 25. de reform. cap. 14. non videtur quod tales incurrant suspensionem nisi post nouam iudicis motionem, & sententiam contra eos latam. Vnde Conar. in Clement. Si furiosus par. 1. §. primo. num. 5. de homicid. expresse docet non esse irregularem, & alios multos in hanc sententiam referre, & probat; Quia hic casus nullibi

in iure expressus est; irregularitas autem non nisi in casibus iure expressis contrahitur, ca. Is qui de sent. excom. lib. 6. in quam etiam sententiam tandem inclinat Iacobus de Graffis ubi supra. Immo aliqui, ut Barth. Medina lib. 1. instruct. confess. c. 1. §. 8. Sotus 4. d. 1. q. 5. art. 6. ad 2. & d. 13. q. 1. art. 9. Cosmus Philarchus lib. 3. cap. 9. dicunt hanc suspensionem non esse alicui in usu. Vnde etiam celebrata ratione violationis censura irregularis non erit, quamvis aliunde irregularis sit, ut lib. 7. c. 12. dicemus.

25 *Dubium* solum esse potest an huiusmodi post peractam poenitentiam possint legitime exercere actum ordinum? Cui responderetur, quantum est ex parte suspensionis potest, quia etiam stante iure antiquo eo ipso, quod peregerit poenitentiam, cessat omnis suspensio, de qua re legi potest. Naua, locis cit. cap. 25. & c. 27.

26 *Septimus est*, Visitatores, qui non sunt Episcopi, si in visitatione exigant, vel recipiant pecuniam, aut munera, aut etiam a non visitatis exigunt procuracionem, vel accipiunt, nisi infra mensem restituat duplum eidem Ecclesiae, a qua acceperunt, ab officio & beneficio suspensi sunt, quosvisque Ecclesiae grauata satisfecerint, ca. p. exigis, de censib. lib. 2. ex to Palud. 4. d. 18. q. 7. art. 2. casu 5. Summa Astenfis par. 1. lib. 7. tit. 16. artic. 7. casu 5. Angelica, verb. suspensio, 1. casu 21. Syluest. verb. suspensio, q. 6. vers. 21. Alphonfus Vivald. tit. de suspens. nu. 105. Tabiena, verb. eod. vers. Sexto casu 19. Henriquez lib. 13. de excomm. & suspens. c. 39. §. 4. in fine. Hoc autem Palud. ubi supra, ad eos solos visitatores restringit, qui iure suo ordinatio visitant; id quod colligi potest ex c. Romana, de censib. lib. 6. Nam praedicta Constitutio Gregorij X. in c. exigis, est executiua Constitutionis Innocentij Papae IV. in c. Romana. Vnde sequitur visitatores delegatos ad visitandum non incurere hanc censuram, etiam si aliquid accipiant, vel exigant, & fauet gloss. in d. c. exigis, in verb. visitationis, ubi expresse ait hanc censuram in alijs procuracionibus, quae debentur legatis, vel Nuncijs Sedis Apostolicae, vel quae debentur ratione consuetudinis, vel ratione pacti in fundatione, vel cons. crano ne positi, locum non habere.

27 *Queri* tamen potest, An Regulares aliquid accipientes, ultra ea quae sibi competunt secundum Constitutiones, vel consuetudines suarum religionum in hanc censuram incurrant? Quidam, ut ait Palud. excipiunt religiosos, ea ratione ducti quod in d. c. Romana. §. fin. cuius illa est executiua, & vallatiua eximuntur regulares, ubi dicitur *Sacerdotes per hoc rationabilibus, & approbatis religiosorum consuetudinibus & regularibus institutis*, verum ut recte notat Palud. cit. non minus, sed forte magis incurrunt regulares. Non enim in d. c. Romana eximuntur Regulares simpliciter, sed solum eximuntur in hoc, ut possint accipere id, quod eis competit ex laudabili religionis consuetudine; vnde si praeter hoc accipiant munera, vel pecunias exigant, hanc etiam censuram incurrunt.

28 *Octauus est*, Quicumque Clericus virgata, vel partita veste publice viens, si beneficiatus sit, per sex menses a perceptione fructuum beneficiorum quae obtinet, eo ipso suspensus est; si vero beneficiatus non fuerit in Sacris tamen ordinibus citra Sacerdotium constitutus, per idem tempus eo ipso inhabilis ad beneficium Ecclesiasticum obtinendum efficitur, Idem quoque de Clericis alijs, (qui nec beneficiati sunt, nec in Sacris) scilicet constitutis in minoribus ordinibus, qui cum ipsa tonsura gerunt praedictas vestes virgatas, vel partitas, suspenduntur inquam, & inhabilitantur, ut per sex menses beneficia Ecclesiastica obtinere non possint. Habentes vero dignitatem, personam, beneficium curatum, nec non ceteri in Sacerdotio constituti, ac religiosi quilibet, si huiusmodi vestes ferant, aut infulam, sep. pileum lineae publice portent in capite, eo ipso a perceptione fructuum beneficiorum, quae obtinent per annum suspensi sunt, Clem. de vita & honest. Cleric. Angelica, verb. Clericus, 4. num. 2. & verbo, suspensio, 1. casu 29. Syluester, verbo, Clericus, 2. §. 4. & verbo, suspensio, q. 6. vers. 29. Tabiena, verbo, Clericus, 2. §. 9. & verbo, suspensio, vers. Sexto, casu 27. Marr. Ledesm. 2. 4. q. 26. art. 2. in tract. de suspens. casu 13. Nau. in Man. c. 27. num. 157. vers. Decima tertia. Alphonf. Vivald. tit. de Suspens. num. 109. Cosmus Philarchus, de officio Sacerd. par. 1.



par. 1. lib. 4. cap. 2. casu 12. Tolet. lib. 1. instruct. Sacerd. cap. 15. Henriquez lib. 13. de excom. & suspens. ca. 39. §. 3. Bernard. Diaz in pract. Canon. capit. 69. Nota tamen, quod si Clericus vitur aliqua ex vestibus sibi prohibitis lecreto, & iustus alias vestes ita, quod in publicum non appareat, non incurrit hanc penam: & idem si vitur talibus vestibus domesticis, puta in studio, vel loco simili, vel ex aliqua rationabili causa ad breue tempus, vt pro celebratione nuptiaru alicuius propinquu, vel pro celebratione sui Doctoratus, vel alijs similibus de causis, non incurrit hanc penam, vt colligitur ex d. Clem. 2. in illis verbis *praterquam ex rationabili causa*, & in particulari notant ibi Cardin. q. 3. Anchi. ibi secundo nota, referendo ad hoc Zenzel. & Inol. ibidē, col. 2. vers. Quarto quid, qui praterea notat post Zenzel. quod si Clericus propter paupertatem desert vestes prohibitas, non incurrit hanc penam. Bernard. Diaz Ledesm. Nau. Henriquez, & Tolet. vbi supra.

<sup>30</sup> Circa hanc materiam legenda est Constitutio Sixti V. que incipit *Cum Sacrosanctam*, anno 1588. Quinto Idus Ianuarij, Pontificatus sui anno quarto, de habitu, & tonsura per Clericos, seu milites beneficia, vel etiam pensiones obtinentes, deferendis; In qua omnibus, & quibuscunque Clericis, non solum in sacris sed etiam in minoribus ordinibus constitutis, & Clericali tantum tonsura insignitis, & nedum beneficia Ecclesiastica qualiacunque etiam simplicia, nunc & pro tempore obtinentibus, & in illis, vel ad ea ius habentibus, verum etiam pensiones super quibusvis fructibus, redditibus, aut proventibus, quarumvis Patriarchalium, Primatialiu, Metropolitanarum, Cathedralium, & aliarum quarumcunque Ecclesiarum, seu Abbatialium, Capitularium, & Conventualium &c. praeclauae, aut bona Ecclesiastica loco pensionum sibi assignata, ex quacunque concessione seu dispensatione Apostolica percipientibus, etiam coniugatis, (praesertim si iisdem Clerici coniugati iuxta Constitutionem Bonifacij VIII. in cap. 1. de Cleric. coniug. in 6. in Concil. Trident. innouatam sess. 23. de reformat. c. 6. priuilegijs Clericalibus vt velint) tam in Romana Curia degentibus, quam extra vbi libet gentium, & locorum Constitutis, mandat, vt ipsi, & eorum quilibet, quamuis exempti existant, & quouis priuilegio vel immunitate gaudeant, tonsuram, & habitum Clericalem, vestes scilicet talares assumant, & iugiter deferant, Alioquin quibuscunque dignitatibus, administrationibus, officijs, praebendis ac beneficijs pensionibus fructibus, & praedijs bonisque Ecclesiasticis priuati sint sine alia citatione monitione, aut iudicis decreto, ita vt beneficia, & pensiones vacare cessent, & cessare, & libere alijs conferri possent, nec quicquam ulterius ad huiusmodi fructuum, & pensionum solutionem eis faciendam teneatur, nec censuras aliquas, aut penas ob non solutionem incurrit. Milites autem quarumvis Militarum sub regula approbata Canonice institutaru, & alij officiales Rom. Curiae, qui non vti Clerici, sed potius tanquam milites iuxta priuilegia eius cōcella, habentes beneficia, fructus & pensiones vt supra, siue Clerici fuerint, siue non, sub huiusmodi mādato de habitu, & tonsura Clericali deferendo non comprehenduntur, sed vti debent Regulari habitu militie quam professi sunt proprio & cōuenienti, sub praedictis penis &c.

Ex qua Bulla non imponitur Clericis aliqua noua censura Ecclesiastica, solum infligitur pena priuationis beneficiorum, proventuum, fructuum, & pensionum, si in assignato habitu non incedant. Et solum obligat Milites beneficia, vel pensiones &c. habentes, & quoscuq; Clericos, etiam in prima tonsura eadem habentes etiam si exempti sint; Clericos autē in minoribus non habentes beneficia, aut pensiones non comprehendit. De hac re plura videti possunt in iure Canonico, in titulo de vita & honest. Cleric. in Decretalibus, Sexto, & Clementinis, & DD. ibi, & in Summis. in verb. Clericus, & in Summa confess. lib. 3. tit. 8. q. 1. Martino Nauar. in Manuali capitulo 25. num. 4. & Alphonsio Vualdo in expositione dictae Bullae Sixti V. & alij.

<sup>31</sup> Notus est, Clericus qui prouocat ad duellum, vel acce-

ptat, quicquid aliqui dicant esse suspensum, alij tamen rectius, vt Sylue. vers. vndecimo in verbo suspensio Angelica in verbo, suspensio, 1. casu 11. & Tabiena, verb. eod. ver. Sexto, casu 10. talem suspensum esse velint alij tamen & rectius, vt Mart. Ledesm. 2. 4. q. 16. art. 2. in tracta. de suspens. casu 4. Nauar. in Manual. cap. 27. num. 156. ver. Quarta. Alphonsus Vuald. tit. de suspens. num. 68. Toletus lib. 1. c. 13. in fine, & Henriquez lib. 13. de excom. & suspens. ca. 39. §. 3. docent, *Non esse suspensum sed suspendendum, & colligitur ex cap. 1. de Clericis pugnant. in duello, vbi textus habet, de iuris merito est deponendus: & nunc noua constitutione Concilij Trid. session. 25. de reform. ca. 19. est excommunicatus, & per nouam Bullam Clementis VIII. que incipit Illius vices, anno incarnationis Dominicae Millesimo quingentesimo nonagesimo secundo 15. Kalendi. Septembris editam, a solo Papa, excepto mortis articulo, absoluitur. Addunt alij plures suspensiones iuris, quae vix vsu ceperunt, vnde satis sit istas tanquam praecipuas, & frequentiores breuiter enumerasse.*

## Quibus Casibus suspensio irregularitatem transgressori inducat.

### Cap. XVI.

#### S V M M A R I V M.

- 1 Violatio suspensionis aliquo in casu irregularitatem inducit.
- 2 Violatio quacunque sententia ad irregularitatem incurrendam non sufficit.
- 3 Irregularitas non nisi exercitio actus proprii alicuius ordinis, quo violatur suspensio ab illo actulata, inducitur.
- 4 Suspensio, quae a confessario in foro penitentiae infligitur, quamuis seruari debeat, contrahendo tamen non incurritur irregularitas.
- 5 Violans suspensionem ex defectu corporis, aut animae fluenter, nouam irregularitatem non incurrit.
- 6 Irregularis celebrando, nouam irregularitatem non incurrit, & quae huius sit ratio.
- 7 Violans suspensionem, qua quis iure tantum suspendentis est suspensus, irregularis non efficitur.
- 8 Suspensus a collatione beneficiorum, etiam si illa conferat, irregularitatem non incurrit, & quare.
- 9 Irregularitas non nisi ex violatione censurae per solemne exercitium ordinis incurritur.
- 10 Subdiaconus ab officio Subdiaconatus suspensus, Epistolam sine manipulo canens irregularis non est.
- 11 Violatio suspensionis etiam per solemne exercitium actus alienius ordinis minoris, irregularem aliquem non reddit.
- 12 Ordinem aliquem minorem, aut etiam primam tonsuram suspensione durante conferens irregularis est.
- 13 Violatio suspensionis per actum ordini iure etiam humano, vel Ecclesiae praecipio competentem, irregularitatem inducit.
- 14 Officiare in choro, dicendo solemniter [ Deus in adiutoriu ] &c. [ Capitulum, Collectam &c. ] iure humano ordinis Sacerdotalis officia propria sunt.
- 15 Purificatio mulierum post partum, Nuptias, aut A qua benedicere solemniter ab excommunicatione absolueret, Sacerdotis officia sunt.
- 16 Episcopus suspensus solemniter benedicens per haec verba [ Sit nomen Domini benedictum. ] irregularis est.